

TH. II.

Imò verò per reliquam vitam omnem, postquam usus Ratio-
nis semel accessit, triplicium illarum facultatum actus simul in no-
bis inveniuntur. De sensitivis & rationalibus nullum est dubi-
um, cum senes æqvè ac juvenes, videre, audire &c. item ratiocinari
ac velle, Magistrâ Experienciâ doceamur; è Vegetativis verò in
corporibus sanis facultas nutriendi nullâ ætate otiosa nec inefficax
est, tametsi crescere & generare aut nondum inceperimus aut jam
desierimus.

TH. III.

Verum enim verò ex his tribus Statibus primus nullo modo ad
præsentem pertinet tractationem; cum non minùs in adultis, quàm
infantibus ac embryonibus extra spheram moralitatis ponendus sit
totus; adeò, ut manifestam ei vim intulerit *Celeberr. Gassendus*, quan-
do in *Philosoph. Epicuri p. 1551*. Jus Naturæ tam latè accepit, ut fa-
cultates vegetativas sub se complectatur, & quoad hoc commune
nobis cum plantis evadat: Contra quam *σεβλότητα* vide *Com-
pend. J. N. Dn. Præs. Part. 1. Cap. 1. p. 23*.

TH. IV.

Et quid mirum, facultates vegetativas hujus non esse loci, cum
ne sensitivis quidem eum absolutè tribuamus, sed eatenus tantum,
quatenus à moralitate participare possunt. Imò verò ipsam Ra-
tionem hîc non spectamus in primis ac imperfectis ejus actibus, qui
in puerilem ætatem cadunt; sed in satis maturis & in tantum per-
fectis, ut in spherâ morali non tantum agere, sed & directricis offi-
cio defungi possit. Sed hæc digna sunt, ut plenius & adcuratius
excutiantur.

TH. V.

Quod igitur facultates sensitivas attinet, fatendum quidem
est, eas pertinere omnes & singulas ad animal, quatenus animal est,
nobisq; sub hac reduplicativâ cum brutis esse communes. Omnes
etiam ex hac causâ referuntur ad statum animalitatis, prout ille
brutis æqvè ac hominibus competit. Quatenus autem idem in
nobis Rationi subordinari suoq; modo moralitatis particeps fieri
potest; sanè non omnes facultates sensitivæ ad eum spectant, sed il-
læ tantum, quæ Rationi obedire, hujusq; gratiâ moralitatem, suo
nimirum modulo, recipere possunt. Tales autem esse facultatem
loco-